H. G. Maſius
de
uxore Lothi in ſtatuam
ſalis converſa.
Havn., 1689.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-72 4° 833



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-72 4° 833


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-72 4° 833



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-72 4° 833



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-72 4° 833



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-72 4° 833

1, – 72.

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°

1 1 01 0 4 00833 2

+ REX

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-72 4° 833

HECT. GOTHOFR. MASII
SS. THEOL. D. ET. P. P.

Exercitatio

DE

UXORE LOTHI
IN
STATUAM SALIS CONVERSA

Publicæ diſqviſitioni
Expoſita

Reſpondente

JACOBO LODBERG
CHRISTIANI F.

Die XIX Decembr. M. DC. LXXXIX.

Loco horisq́ ante meridiem, ſolitis.

Literis *Joh. Phil. Bockenhoffer*, Reg. Majeſt. & Univerſ. Typogr.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-72 4° 833

APPROBATIO.

Qvod alii ad conſpectum ſtatuæ Mercurialis facere viatores plerumqve ſolent, idem Chriſtianis incumbit Salis Statuam *in via intuentibus. Non tranſeundum ilico eſt, non curioſius ſtandum, ſed de itinere rectè conficiendo ſeriò unicuiq; ac ſedulò cogitandum. Poſuit eqvidem hanc DEus in via cæli, haud ſecus ac Veteres qvondam* Ἑρμαῖον λόφον *in compitis ſuis, non ut jactu lapidis augerent tranſeuntes & conſpectiorem redderent, ſed ut ictu fidelis oculi vias cordis ſui accuratius inveſtigarent. Et qvanqvam rimari non convenit profunda myſteria judiciorum* Domini, *mirari tamen convenit, & rationes eorum, juxta ductum Spiritus S., ad ſua capita referre, pii utiq; hominis eſt, & Theologi ſupra alios rectè ſapientis. Qvocirca munere ſuo hìc, ut ſolet, dextrè, ſolerter ac lautè fungitur Nobiliſſimus Auctor, dum* Memento *illud Chriſti nobis ad finem ſeculi iterum acclamat, ut labaſcente propediem rerum cardine, hæc nos columna maturè fulciat, & hic ſal condiat. Paremus meritò monenti Theologo & unicuiq; hanc ſtatuam paulo attentius intuenti, aphoriſmum hunc S. Patris ſedulò commendamus;* Ne ſit Tibi minimum, non negligere minima. *Ita cenſeo*

JOHANNES BAGGERUS D.

BIBLIOTHECA REGIA

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-72 4° 833

I. N. J.

NIhil jucundius eſt accurato Scripturæ Scrutinio, qvod Salvator noſter Joh. V. inculcat, & ad omnes Scripturæ partes, ſive hiſtoriam ſive dogmata ſpectes, vult extendi. Sive enim legentis animum ſtudioſè intentum ſublimitate myſteriorum percellat, ſive varietate rerum & fœcunditate ſenſus occupet, ubiq; divinitatis ſuæ charactere afficit mentem noſtram & tacitâ qvadam voluptate demulcet. His ſtudiis ut nihil ſublimius eſt, ſic immorari & immori, vera demum eſt felicitas. Ex illo fonte qvi ſeriò bibunt, ſitim contrahunt indies majorem, & in hac mortalitate non reſtingvendam. Neq; verò ulla Scripturæ pars eſt accurato Scrutinio indigna, cum in minimis etiam, ubi vix credideris, providentiæ, ſapientiæ, juſtitiæ ac bonitatis divinæ monumenta clariſſima extent. Ut alia ſileri patiar, in ſcenam produco *Statuam Salis*, in qvam converſa eſt Lothi infeliciſſima uxor, non oculis qvidem noſtris obviam, ſed cele-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-72 4° 833

brem, & in Scripturâ ita depictam, ut mentem atq; cogitationem in eâ contemplandâ paulum figere, operæ pretium omninò eſſe videatur. Nulla unqvam ſtatua ad poſteritatis memoriam aptior fuit; cui Mauſolæa altæq; Pyramides & alia monumenta ære perenniora cedunt. Forte eam plures, qvi hiſtoriam ſacram legunt, ſtatim prætereunt, aut fugitivo tantum oculo perluſtrant: nec temerè tamen prætereunda eſt. Etſi enim nemo Romano more acclamat: STA VIATOR; inſcriptione tamen non caret admiranda ſtatua, qvæ legi mereatur. Ipſe Chriſtus eam addidit, dum Luc. 17. memores nos eſſe jubet uxoris Lothi. Sed non tam miraculi qvam judicii divini recordationem exigit, ut ex iſto Sale ſapere diſcamus. Idem loqvitur jam muta mulier, qvæ communi mortalitatis legi exempta, dum maximè mortalis, fragilitatis humanæ exemplum in corpore non fragili præbet, nec viva jam nec mortua, è terrâ ſublata & in terrâ ſuperſtes, in ſe ipſâ ſepulchrum inveniens nondum ſepulta. Rarum verò ſepulchrum, in qvo nullum cadaver, aut mirum cadaver, qvod ſibi ipſi ſepulchrum eſt, & incorruptibile. Ex corruptis moribus hæc nata eſt incorruptibilitas, non in beneficium ſed pœnam. Ita periit, ne memoria ejus periret; ita deſiit eſſe, ne facile deſineret. Inconſtantiam animi iſtâ corporis conſtan-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-72 4° 833

tiâ luit, & in cujus mente nihil firmi erat, firmiſſimam columnam repræſentat. Obriguit jam horrore rigida, & dum ſuos oculis qværit, ſeipſam amittit. Nulli unqvam aſpectus carius conſtitit. Diſce Viator, ab ictu oculi ſæpe pendere ſalutem. Qvid juvat Sodomam egredi, ſi extra eam pereas, corpore abſens, ſed animo præſens. Rimentur alii, cur in ſalem converſa ſit inſulſa mulier, nos verò mirabimur judicii divini profunditatem, atq; hanc Salis Statuam cum grano Salis contemplati, juſtitiæ divinæ novam ſtatuam, nobis verò monumentum erigemus. Nam ut rectè Patres: Convertit DEus immorigeram in Salem, ut prudentiæ Salem mundo ſuppeditaret, qvò caverent mortales immortalis DEi præcepta vel minima violare. Diſpeſcemus autem hanc tractationem in tres ſectiones, qvarum prima Exegeſin, altera qvæſtiones varias, tertia uſus morales complectetur.

DEUS adſit!

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-72 4° 833

SECTIO I.
EXEGETICA.

(1.) *Præmittitur brevis narratio.* (2) *Verba ſcripturæ ponderantur, & qvidem ipſum primò interdictum, cujus* (3) *rationes & cauſæ indagantur.* (4) *Oſtenditur non Lotho tantùm, ſed ejus uxori ac domeſticis etiam interdictum fuiſſe, ne reſpicerent.* (5) *an* τὸ retroſpicere *ſit allegoricum.* (6) *adducitur opinio celeberrimi cujusdam Theologi de actu illo reſpiciendi.* (7) *reſolvuntur iſtæ difficultates.* (8) *qvod nomen fuerit uxori Lothi.* (9) *cauſa impulſiva ad retroſpiciendum.* (10) *qvid ſtatua Salis?* (11) *qvalis illa converſio.* (12) *Hanc hiſtoriam à gentilibus in fabulas converſam; Eſt enim Diabolus Dei ſimia.*

Vix unqvam gravius in mortales exarſit Numinis ira, & atrociùs animadvertit, qvam cum Sodomam, cæterasq; civitates vicinas, ad exitium vaſtitatemq; vocaret, & ultricibus flammis cœlitus demiſſis flammas inſanæ libidinis coërceret. Sed in iſta tempeſtate vindictæ divinæ, qvædam cœli ſerenitas, & qvæ ſemper eſt ſvaviſſima in DEo harmonia, non juſtitiæ tantum ſed & miſericordiæ locus fuit. Expertus hanc eſt Lothus ſingulari beneficio Dei, Angelo comite in locum ſecuritatis deductus, felix qvidem ille, qvod urbis incendia effugeret, infelix autem, qvod pejora incendia incurreret, non tutus à flammis domeſticis, qvi ab externis flammis immunis erat. Peſſimus ille ignis, qvem qvisq; ſecum in pectore gerit, illius violentiam expertus inceſtuoſus Parens, deletâ Sodomâ novam Sodomam excitat, & ſepulta qvaſi cineribus peccata in uſum revocat. Cœterùm, cum fugâ ſalutem qværeret Loth, graviſſimo interdicto cautum erat, ne retroſpiceret, aut in iſta regione moram necteret. Paruit qvidem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-72 4° 833

dem Loth, ſed uxor ejus mandati divini immemor, vel præpoſtero amore neceſſitudinis relictæ præpedita, vel immodico rerum terrenarum deſiderio abrepta, vel contemplando miraculo, ut oculos paſceret, curioſius intenta, uno oculi ictu periit, inaudito exemplo in ſtatuam ſalis converſa. Juvat ipſa ſcripturæ verba paulum excutere, ut ſenſum hiſtoriæ & judicii divini ſingulare illud monimentum eò facilius aſſeqvamur.

§. 2. Interdictum Dei his verbis conſtat: אל־תביט אחריך ne reſpicias poſt te, vel noli retroſpicere. ubi (1) non hæremus an τὸ retroſpicere propriè intelligendum ſit, nec ne: additur enim immediate: ואל־תעמד בכל הככר & non ſtes in omni planitie; qvam propriè igitur ipſi interdicitur in tota iſta planitie commorari, tam propriè etiam vetitum eſt, oculis reſpicere ad locum funeſti exitii. Unde audiendi non ſunt, qvi præter neceſſitatem à proprietate literæ recedunt, & proverbialem hîc locutionem ſupponunt: Ne reſpicias poſt Te, id eſt, ne te pœniteat inſtituti tui, ſicut *Luc. 9. v. 62. Nemo mittens manum ad aratrum & reſpiciens in ea, qvæ retro, aptus eſt regno DEI.* Sed utriusq; loci eandem eſſe locutionem figuratam vel proverbialem, unde probatur? certè propriè illud interdictum & Lothus & ejus familia accepit, & propriè accipiendum fuiſſe, non tantum ex connexione mandati, ſed & pœnâ transgreſſionem ſecutâ facile apparet. *Rivetus in h. l.* ſenſum proprium & figuratum connectit. Nam in S. Scripturâ, *retroſpicere*, inqvit, *indicat cum ipſo corporis motu pœnitentiam animi, & deſiderium redeundi ad id, à qvo qvis receſſerit.* qvam tamen connotationem ex inductione probare perqvam difficile Riveto foret. Nobis autem facile probatu eſt, *retro ſpicere* in qvibusdam locis actionem externam tantummodo indicare citra pœnitentiam animi & deſiderium redeundi ad id, unde receſſeris. Nam qvod in nonnullis locis ut *Luc. 9. v. 62. & Pſalm. 44. v. 19. non receſſit retrò cor noſtrum*, illa vocis ſignificatio figurata occur-

currit, exemplum eſt à particulari ad inductionem non ſufficiens. Neq; vero etiam *Riveto* ſubſcribere poſſumus poſtea dicenti, hujus loci moralem ſenſum in literali & hiſtorico ita includi, ut à DEo præcipuè intentum fuiſſe, non ſit cur dubitemus. Hactenus enim nobis perſuaſum eſt, unius dicti ratione unius ejusdemq; ſubjecti ex intentione ac mente Spiritus S. formaliter non niſi unum literalem per ſe intentum ſenſum eſſe. *Auguſtinus* verò *de Civ. Dei lib.* 16. *c.* 3. inqviens: *qvò pertinet, qvod prohibiti ſunt, qvi liberabantur, retrò reſpicere, niſi qvia non eſt animo redeundum ad veterem vitam, qvâ per gratiam regenerati exuimur, ſi ultimum judicium evadere cogitamus:* non loqvitur de ſenſu proximè & immediatè à Spiritu S. intento, ſed de accommodatione, & de cauſis ac rationibus hujus interdicti; qvas porrò indagabimus.

§. 3. Cur igitur Deus noluerit, ut retroſpiceret Lothus cum ſuis, & cur rem adeò levem & in ſe indifferentem tanta pœna ſancire voluerit, inqvirendi anſam interpretes habuêre. Videtur enim humano qvidem judicio convenientius, ut ex iſto periculo liberati ſupplicium Sodomæ liberius contemplarentur, oculati teſtes futuri vindictæ divinæ, nec amplius dubitaturi, an *culpam pœna premat comes.* Nullâ re enim potentius percelluntur mortalium animi, & in timore DEi confirmantur, qvàm ubi judicia ſevera oculis ſunt obvia. Poterat etiam ex iſto intuitu Majeſtatis divinæ veneratio, fides, & obſeqvium augeri. *Ita judicant mortales*, ſed τὸ μωρὸν τȣ̃ θεȣ̃ σοφώτερον, ait gentium Doctor. 1. *Cor.* 1. 25. In cujus voluntate ſimpliciter acqvieſcendum eſt, ubi judicii ſui cauſas non revelavit. Ea qvoq; eſt *legis poſitivæ* natura & ratio, ut à ſolo arbitrio Legislatoris pendeat, & circa objectum in ſe indifferens verſetur. Sic comparata qvoq; erat *Lex poſitiva* in Paradiſo, de non comedendo fructu arboris vetitæ, ubi objectum ſane æqvè indifferens eſt ac τὸ *retroſpicere*, & forte hinc perſuadente Diabolo nata eſt

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-72 4° 833

Evæ ſuſpicandi occaſio, non arboris fructum eſſe reverà vetitum, ſed verba DEi procul dubio figurata eſſe & impropriè intelligenda. ſaltem literam deſeruit *Gen.* 3.3. à cujus proprietate recedere periculoſum eſt. Eodemq; forſan modo Lothi uxor mandati divini literam neglexit, ſenſum myſticum fingens verborum, qvæ propriè intelligenda erant, nec capiens in re tantilli momenti tantam legis ſeveritatem. Planum verò & perſpicuum tamen erat illud DEi interdictum, in qvo acqvieſcere fas erat, ſi vel nulla ejus cauſa manifeſta fuiſſet. Poſſumus tamen & rationes afferre, cur ita viſum DEo placitumq; fuerit. Nempe (1) voluit Deus, ut fugâ ſalutem qværerent qvam citiſſimè, atq; ita feſtinarent, ne vel reſpiciendi momentum perderent propter incendium proximè inſtans. conf. *Matth.* 24. *v.* 18. *Luc.* 17. *v.* 31. Ipſis ergo conſulere Deus voluit, & ut fugæ feſtinationem eò fortius inculcaret, ne tantillum momenti ad reſpiciendum indulſit. (2) Noluit Deus, ut exitio devotam gentem ejusq; ſupplicium oculis ſubjicerent, ne forte tragico illo ſpectaculo commoti præpoſterâ erga Sodomitas commiſeratione ducerentur. (3) Fas erat, ut omnem ſuppellectilis bonorumq; jacturam æqvo animo ferrent, omnemq; adeò relictæ poſſeſſionis memoriam abjicerent, ut ne oculis qvidem, aut ullo geſtu exteriori ejus deſiderium teſtarentur. (4) ad augendam loci deteſtationem, ne digna qvidem erat Sodoma, qvæ piorum oculis obverſaretur. (5) vetuit Deus contemplationem, ne forte oculis ſuis plus crederent qvàm ejus verbis: *perdam Civitates.* de earum exitio perſuaſi eſſe debebant, ſi vel flammas incendii minus viderent. (6) ad probandam eorum obedientientiam iſta juſſiſſe Deum, qvis neget? *B. Gerhardus* addit: *ſicut Deus prohibitione fructus in arbore ſcientiæ boni & mali enati primorum Parentum obedientiam probari & exerceri voluit, ita qvoq; Lothi obedientiam hac prohibitione* ἀνακόψεως *probavit.* Cui ſententiæ *Rivetus* neqvicqvam contradicit, non id

exiſti-

exiſtimans Deo fuiſſe propoſitum, ut in eo Lothi obedientiam experiretur, in præcepto, cujus materia non videbatur magni momenti. *id enim*, ait, *tum temporis ad negotium qvod peragebatur, non pertinebat, ad qvod tamen reſpexiſſe Deum, non eſt dubitandum.* At verò maximè pertinebat ad negotium præſens, ut DEus novo ſpecimine obedientiam eorum probaret, qvos manifeſto periculo ſolos exemerat, cum reliqvos omnes propter inobedientiam plecteret. Interea non improbantur nobis, qvæ ſubjicit Rivetus: *Genuina prohibitionis ratio* (ſed non ſola ſive unica) in eo conſiſtebat, qvod Deus voluit Lothi animum abducere ab omni cogitatione priſtinæ habitationis, & monere, vitæ & ſalutis curam potiorem eſſe omnibus, qvæ Sodomæ relinqvere cogebantur, ne talium amore aut cupiditate titillari, beneficium divinum negligerent, & amitterent, qvaſi eò redire volentes, unde miraculoſè exceſſerant. Ita ille. His rationibus meritò illa accenſetur, docuiſſe Deum externâ lege, qvid internum hominem deceat, nempe, ut Apoſtoli verbis utamur *Phil. 3. v. 13. eorum, qvæ retro ſunt, oblivisci, ad ea verò qvæ ſunt anteriora, toto animi impetu contendere.* Ut è ſpirituali Sodoma egreſſi, animo non revertamur. conf. *Luc. 17. v. 32. & Luc. 9. v. 71.*

§. 4. Levis verò illa difficultas eſt, an interdictum DEi, *noli reſpicere*, ad Lothi uxorem & domeſticos etiam ſpectârit, cum prohibitio in ſingulari extet, in genere maſc. verbi & ſuffixi & ad Lothum tantummodo directa eſſe legatur. Nonnulli vertunt locum, *nolite reſpicere*, ſed illi ſenſum non verba exprimunt. Solenne autem Scripturæ eſt, mandato in ſingulari plures obligare. Similis locutio habetur *Gen. 2. v. 17. Non comedes ex eâ.* Et cum Lothus familiæ caput eſſet, qvod ipſi dicitur, ad uxorem qvoq; & liberos pertinet; Eadem erat omnium conditio, idem periculum, idem debitum obedientiæ Deo præſtandæ. Niſi verò uxori etiam & liberis vetitum fuiſſet retro-

troſpicere, jam præter meritum punita mulier, qvod de DEo cogitare impium eſt, omnis enim pœna juſta culpam præſupponit; culpa autem cum ſit transgreſſio legis, legem præreqvirit. Hinc abſurde Aben Eſra aliiq; negant, uxori & filiabus Lothi interdictum qvid eſſe, qvod indignæ eſſent iſtiusmodi præmonitione; qvos refellit Abarbenel in h. l.

§. 5. Deſcribitur autem horrenda illa Metamorphoſis paucis verbis: ותבט אשתו מאחריו & *reſpexit uxor ejus poſt eum*, ubi iterum de voce נבט qvidam eruditi altercantur, an *nudum retroſpicere* ſignificet, an verò regreſſum corporis cum motu animi, diffidentia, incredulitate, deſiderio rei terrenæ conjunctum. Nos exiſtimamus, confundi à qvibusdam actum inobedientiæ externum, cum ejus cauſa impulſiva interna. Non autem qværitur, qvo ſtimulo ducta mulier reſpexerit, ſed an non ipſo actu reſpiciendi peccarit; qvod poſterius ſcriptura ipſa aſſerit, immediatè conjungens culpam & pœnam. *Et reſpexit, & converſa eſt.* Non negamus autem, hunc actum externum fuiſſe indicium motus interni animi. Nec diffitemur, DEum, cui omnis humani cordis latebræ ſunt notiſſimæ, & cujus oculi ad interiora mentis penetrant, ex animo potius judicare de actionibus, qvam ex actionibus de animo.

§. 6. Ita interpretor ſententiam celeberrimi cujusdam Theologi, cui veroſimile non videtur, ob ictum oculi periiſſe mulierem, neq; enim pati miſericordiam Numinis, ut à temeraria oculorum vibratione ſalus pendeat; nec probabile eſſe, voluiſſe Deum, ut qvi ingenti periculo exempti erant, majori periculo per ejusmodi interdictum exponerentur; vileſcere beneficii divini præſtantiam, ſi miſeros flammis vix ereptos in præcipitio collocet. Itaq; τὸ *retroſpicere* allegoricum hîc eſſe, idq; patere ex his rationibus, qvia (1) aliàs nulla ſit proportio inter culpam & pœnam, qvam tamen juſtitiæ divinæ ratio reqvirit. prohiberi qvidem etiam à Chriſto aſpectum mulieris, & pro ad-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-72 4° 833

ulterio cenſeri, ſed cum affectu inordinato conjunctum. Sic igitur non ſimpliciter τὸ *retroſpicere* vetitum fuiſſe, ſed motum corporis cum motu animi, diffidentia, incredulitate aliisq; pravis affectibus connexum. Idq; (2) patere ex eadem hiſtoria, innotuiſſe enim Lotho & filiabus, qvod Lothi uxor in ſtatuam ſalis fuerit converſa, impune igitur Lothum reſpexiſſe & vidiſſe illud prodigium; niſi enim ipſe reſpexerit, ſcire non potuiſſe, qvæ fata fuerint uxoris, certum enim eſſe qvod cæteroqvin præceſſerit, velut Dux itineris & familiæ caput; ut adeò ſcire non potuerit, periiſſe uxorem niſi & ipſe reſpexerit. (3) DEum conceſſiſſe Abrahamo, ut incendium Sodomæ proſpiceret, (qvod patet ex ejusdem capitis v. 28.) eoq; fidem ſuam confirmaret. Num ergo idem actus Abrahamo qvidem licitus, Lotho verò ejusq; familiæ illicitus? (4) נבט, qvod eſt in Hebræo, non intuitum, ſed regreſſum cum morâ & deſiderio notare.

§. 7. Cœterum ex his difficultatibus facile qvidem eluctamur. Largiamur enim Viro celeberrimo, non corpus peccaſſe ſed animum mulieris, modò nobis etiam concedat, iſtam ἀνάκυψιν è pravis affectibus profectam peccatum fuiſſe. niſi animo immorigero fuiſſet, non reſpexiſſet, & mandatum Dei violaſſet. Qvò levioris momenti res eſt, qvæ prohibetur, eò facilius ſervari poteſt, eoq; gravius delictum eſt, qvando non ſervatur. Cui non ſit veroſimile ob ictum oculi periiſſe mulierem, forte nec credet, ob eſum pomi periiſſe totum genus humanum. An hæc etiam ratio Origeni fuit, cur Hiſtoriam lapſus in Allegoriam converteret? Probabile ſanè eſt, voluiſſe Deum, ut è periculo liberati graviora pericula caverent, nec ſecuritati frena laxarent. Nec imminuitur miſericordia juſtitiæ ſociata. Si, qvi prohibet rem aliquam, in præcipitio hominem collocat, accuſandus erit Deus, qvod in Paradiſo primos Parentes in præcipitio lapſus conſtituerit; qvod abſit. Ad reliquas rationes reſpondemus. (1) Proportio inter pœnam & culpam hîc ſatis

ſibi

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-72 4° 833

ſibi conſtat. Non metienda eſt culpa ex objecto legis, ſitne in ſe indifferens an ſecus) ſed ex voluntate Legislatoris, cui qvi morem non gerit in re qvavis minimâ culpam objectivè infinitam contrahit. reliqva de aſpectu mulieris vetito non feriunt ſcopum; qvalis enim aſpectus intelligatur, addidit Chriſtus *Matth.* 5. ad (2) ſupponitur, non probatur Lothum reſpexiſſe ejusq́; filias. Ratio non ſtringit, qvia Loth præceſſit, duxitq́; familiam in viâ. Nam & hoc juxta qvosdam nondum evictum eſt. Qvid ſi ſecutus eſt uxorem & liberos, ut eos urgeret ad feſtinandum, qvemadmodum vult Tremellius? cui, ut opinor, præivit R. Moſe Bar Nachman in h. l. Sunt qvi putant, amore conjugali ductam reſpexiſſe maritum ſeqventem, qvod tamen aliis probabile non videtur, punitam fuiſſe ob pietatem in maritum, qvamvis contra illi rectè aſſerant, nullam pietatem innocentem eſſe, qvæ cum inobedientia erga DEum ſit conjuncta. Sed præceſſerit Lothus, ſecuta ſit uxor, eamq́; filiæ; potuit ergò ſaltem à filiabus videri converſa mulier etiamſi non reſpicerent. In textu eſt ותבט אשתו מאחריו *& reſpexit uxor ejus poſt eum.* Vulgata verſio habet: *reſpexit poſt ſe*, ſed illa non ſatisfacit affixo maſculino מאחר יו. Paraphraſis Chaldaica reddidit; reſpexit uxor ejus qvæ ſeqvebatur eum. Ad literam eſt: *reſpexit uxor ejus de poſt eum* ſive à tergo ejus. Nam, ut inqvit Mercerus in h. l. reſpexit de poſt ipſum à tergo Lothi verſus Sodomam, relicta à tergo, cum eum pone ſeqveretur. Ipſius autem habetur præcipua ratio, propter qvem filiæ ejus & uxor ſervatæ fuiſſent, & qvi Dux itineris illis præibat. Ita ille; cujus ſententiam non impugno; exiſtimo tamen, exceptioni locum ſupereſſe, ad (3) In legibus poſitivis non abſurdum eſt, hunc qvidem obligari, alium non item. qvod ex legibus forenſibus & ceremonialibus manifeſtum eſt. Abrahamum non obligabat Lex, qvæ ipſi lata non erat; impunè igitur aſpexit Sodomæ incendium. Loth autem qvod ſeverè interdictum e-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-72 4° 833

rat, impunè ferre non poterat. Ad (4) verbum נבט ſemper regreſſum cum morâ & deſiderio redeundi notare, probari neqvit. Sunt certè loca Scripturæ plurima, ubi ſimpliciter *retroſpicere* ſignificat. *Ex. gr.* 1 *Sam.* 17. *v.* 42. ויבט הפלשתי וירא & reſpexit Philiſtæus & vidit; ut innumera ferè loca alia taceam, in quibus נבט ſimplicem denotat intuendi actum. Et qvamvis fortè alicubi moram & deſiderium non excludat, non id tamen ex vocis ſignificatione fluit, ſed è circumſtantiis textus forte colligitur. Aliàs non inficiamur verbum הביט *qvandoq; de viſu intellectus ejusq; intentione ad rem aliqvam* ſumi. Hic autem propriè de intuitu oculi accipiendum eſſe, patet è ſenſu interdicti, de qvo ſupra, & addita voce מאחריו *poſt illum.*

§. 8. Qvale nomen fuerit uxori Lothi, ſcriptura non exprimit, ſed ſimpliciter ait: *& reſpexit uxor ejus. Beroſus* qvidem eam vocat *Titeam*, ſed abſq; fundamento. Qvam inſignis ſit fingendi artifex, notum eſt eruditis. Nec majori fundamento illi nituntur, qvi *Aretiam* appellatam fuiſſe contendunt, ab ארץ terra. Unde id hauſerint, ipſi diſpiciant. Clariſſimus *Saubertus* exiſtimat, inde factum, qvod nonnulli ſimpliciores legerent, à Judæorum Magiſtris ut R. Levi ben Gerſom verbum ותהי accommodari ad nomen ארץ v. 26. atq; hinc putarent, nomen uxoris Lothi fuiſſe *Aretia.* Melior tamen conjectura eſt, qvæ ex antiqva traditione nomen deducit, ſed incerta, ad qvam etiam provocatur in Pircke R. Eliædſær, ubi ערית nuncupatur. Cur autem ſcriptura nomen uxoris taceat, variæ qvidem rationes redduntur, ſed parum ſolidæ. Inepta prorſus illa eſt, noluiſſe DEum, ut infame nomen ad poſteritatis memoriam extaret; An enim memoriam mulieris abolere voluit, qvam ſingulari miraculo, ut diuturnior memoria eſſet, in ſtatuam Salis transmutavit? & cujus ipſe Chriſtus memores nos eſſe juſſit. Conjectura qvorundam eſt, uxorem Lothi viduam

fuiſſe,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-72 4° 833

fuiſſe, cum ipſi nuberet, easq; filias, qvarum mentio fit, alii marito peperiſſe, ac proinde privignas tantum Lothi fuiſſe; qvod lepidè fingitur ad inceſtum Lothi diminuendum, ſed his atq; ſimilibus diu immorari non vacat.

§. 9. Inſpiciamus potius *cauſam impulſivam* qvæ Lothi uxorem ad retroſpiciendum moverit. Eam qvidem ſcriptura tacet, interpretes autem unam atq; alteram conjecturâ aſſeqvi malunt, qvam præterire. Supra jam vidimus, non deeſſe, qvi putent, amore in maritum commotam reſpexiſſe. Sed illi calculum non merentur. Alii putant commiſeratione erga patriam & generos relictos aliasq; neceſſitudines impulſam. Alii non niſi animi levitatem & muliebrem curioſitatem allegant; alii cum B. Luthero metum pro cauſa adducunt, qvem ingruentis tempeſtatis ſtrepitus & fulmina excitarint. Rabbinorum hîc variæ ſunt ſed minus probabiles conjecturæ. *Ex. gr. Forte Angelum perditorem ſtetiſſe tunc inter cœlum & terram, veluti eum viderit David tempore percuſſionis, eumq; ſpectandi cauſa retro ſe vertiſſe fœmellam.* Qvam ſententiam ex R. Nachmanide memorat *Joh. Saubertus l. c.* Sunt & inter Rabbinos qvi ſupponunt fuiſſe Lotho filias in urbe jam maritatas, ad qvas reſpexerit Lothi uxor, anne paulatim à tergo ſeqverentur, tum verò conſpectâ Majeſtate divina attonitam ſtetiſſe inſtar ſtatuæ. R. Abarbanel cupiditatem bonorum in eâ notat & deſiderium opum relictarum, nec malè qvidem; (nobis hæc conjectura è verbis Chriſti *Luc.* 17. valde probabilis redditur) ſed qvando addit, non reſpexiſſe tantum, ſed ne perrexiſſe qvidem cum marito, verùm in eo intentam fuiſſe, ut pecus, armenta cœteraſq; opes eriperet, falſum ſupponit & *v.* 16. contrarium; imò miraculum omne tollit, dum eodem loco fingit, præoccupatam in urbe malo Sodomæ, factamq; Statuam Salis, ut reliqva urbs. Sunt qvi libidinem mulieris reprehendunt, cujus ſtimulis agitata domum repetere, & laſciviæ frena laxare in illo virorum

grege voluerit, qvi circa domum Lothi congregati erant. Sed hæc conjectura à judicio Chriſtianæ charitatis abludit, & in textu fundamentum non habet. B. Lutherus mitius de eâ ſentit, adeò qvidem, ut ſanctam qvoq; mulierem appellet. *Haud dubiè, inqvit, fuit fidelis & ſancta mulier, alioqvi neq; maritum ſecuta eſſet in tanta calamitate, nec ab Angelis arrepta & educta.* Sed qvocunq; ea loco habeatur, illud è pœnâ liqvet, immorigeram erga DEum fuiſſe. Unde & liber Sapient. X. 7. incredulam ejus animam appellat. *Pererius*, ut aggravet mulieris peccatum, viſam illi putat vindictam divinam nimis atrocem & ferè injuſtam, ita ut animo ſuo gravitatem ſupplicii reprehenderet indignabunda & furore percita. Fabulam verò Judæorum, ideò in ſalis ſtatuam fuiſſe converſa m, qvod Salem hoſpitibus denegaſſet, infra videbimus.

§. 10. Ipſa verò illa converſio his verbis exprimitur ותהי נציב מלח: & facta eſt Statua Salis. נציב enim h. l. idem prorſus ſignificat qvod מצבה, i. e. ſtatua. Unde & liber Sapient. cap. X. v. 7. per ςήλη reddidit; eademq; voce uſi ſunt LXX. nec aliter accipit etiam Chaldæus Paraphraſtes. Et conſentiunt omnes ferè interpretes, qvotqvot literæ inſiſtunt. *Rabbini* nonnulli per *acervum*, *cumulum*, *aggerem* exponunt, qvem, niſi informem intelligunt, ab illis non abeunt, qvi per *Statuam* reddunt. Obſervat Clariſſ. *Saubertus*, præter h. l. ſepties occurrere in S. codice, & rectè exponi per *præfectum* aut *militem* (collectivè ſumptum) *ſtationarium*. Sed ea ſignificatio à præſenti loco aliena eſt. Vox מלח propriè *Salem* ſignificat citra controverſiam; licet non diffiteamur, qvandoq; impropriè ſumi, ut *Numeror*. 18. 19. *fœdus Salis*, & per metonymiam *ſigni pro re ſignata*, de corruptione & vaſtatione (conf. Eſa. 51. v. 6.) qvod loca vaſtata ſale conſpergi, mos eſſet. Sed, ut à proprietate literæ recedamus, nulla nos cogit neceſſitas. Qvare rejicimus (1) eorum ſententiam qvi *Statuam Salis* dici autumant,

tumant, pro *ſtatuâ admiratione dignâ* vel *portentoſâ*, qvia *Sal ſapientiæ* ſymbolum eſt, tum verò ſapimus, vel ſapere jubemur, cum portenta & admiranda videmus. Sed hæc longius petita ſunt. Nonnulli inſuper negant, in S. codice Salem *pro ſapientiæ ſymbolo* haberi; licet in profanâ antiqvitate habeatur; qvod de Vet. Teſt. fortè conceſſerim. In Novo autem Teſtamento præceptum Chriſti *Marc. IX. v. 50. Habete Salem vobiſcum* explicant Interpretes pleriq; de ſapientia, qvod ſapientiæ Symbolum ſit Sal, qvamvis alii Symbolum pacis intelligere malint. (2) Nec probantur nobis illi, qvi *Statuam Salis*, pro diuturno & durabili monumento ſumunt, ut ſalem pro ſigno incorruptibilitatis. Qvamvis enim ad locum paralelum *Numeror*. 18. v. 19. (de qvo ſupra) provocent, cauſam tamen nullam afferunt, cur à proprietate literæ diſcedendum ſit. Neq; ſi fœderi repugnat in Salem converti propriè, ideò & corpori repugnat. Hanc tamen interpretationem *Vatablus* amplectitur; ut & *Bodinus l. 5. de Rep.* cap. ult. qvorſum & locum. 2 *Paral. cap.* 13. v. 5. referunt. (3) Neq; etiam proprietati literæ ſatisfaciunt, qui pro *ſale ipſo* ſimilitudinem ſalis ponunt, exiſtimantes ſtatuam qvidem ipſam fuiſſe lapideam, ſed qvæ ſpeciem ſalis referret. Qvod veroſimile eſſe videtur *B. Rungio*, cui jam præiverat *B. Lutherus in Geneſ.* ubi *poteſt autem fieri*, inqvit, *ut appellet Statuam Salis, non qvod reverà Sal fuerit, ſed qvod ſimilitudinem Salis habuerit, Sal enim candidum eſt*. (4) Omnes hujus loci interpretationes vel falſas vel incommodas ſuperat audacia *R. Levi ben Gerſom*, qvi verbum ותהי non refert ad antecedens אשת, ſed ad nomen ארץ è verſ. 23. ut hic ſit ſenſus; & reſpexit uxor Lothi, *& terra fuit Statua Salis*, hoc eſt, tanqvam ingens acervus Salis. Subſternit autem Levi huic detorſioni leve fundamentum; videlicet ibi ſalem ſuccreſcere, ubi incendium invaluit, qvo refert *Deuter.* 29. 23. *Sulphure & Sale combuſtionis omnis terra illius*. Cum igitur Sale Sulphur

con-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-72 4° 833

commixtum fuerit, & ex terrâ exuſtâ Sal naſci ſoleat, ideò commodius de terrâ qvàm muliere accipi. Deinde ſupponit Lothi uxorem morte naturali occubuiſſe præter Scripturam. Supponendum qvoq; eſt, vel interdictum, *noli reſpicere*, ad ſolum Lothum ſpectaſſe, non ad ejus uxorem, aut impropriè intelligendum eſſe. Supponendum eſt, ejusmodi trajectiones vocum cum genio lingvæ & connexione naturali conciliari poſſe, uno verbo: fingenda ſunt omnia. Sed cum aliis Rabbinis hæc ſententia vapulet, cauſa non fuit qvibusdam Interpretibus Chriſtianis, ut eam aliis qvoq; Judæis placuiſſe aſſererent. Nobis verò his tricis immorari non vacat, nec otioſè etiam, qvæ Salis ſpecies fuerit, inqviremus; ſufficit proprium fuiſſe Salem, qvem ſi qvis metallicum dixerit & durabilem, ut pluviis & injuriæ aëris reſiſtere potuerit, (cujus generis Salem memorat *Plin. l.* 31. *c.* 7.) equidem non refragabimur. Allegoricam verò *Philonis Judæi l. de* ſomniis interpretationem planè rejicimus.

§. 11. Propriè igitur in Salem converſam eſſe Lothi uxorem, hactenus evictum eſt, ſed *de modo converſionis*, reſtat ut nonnulla delibemus. Ubi (1) verbo notamus, converſum mulieris corpus, non animam. Nec facile qvisqvam, ut opinor, pro ſubſtantiali converſione animæ pugnabit. Leviſſimæ ſunt iſtæ rationes. Uxor dicitur converſa in Salem, ſed illa conſtat anima & corpore. Et *Sap. X. v.* 7. incredula anima dicitur punita. Qvidni etiam inferunt: uxor reſpexit, ergo etiam anima reſpexit, habuitq; oculos. Inverti etiam deberet; anima punita eſt, E. ſuperſtes ſentit pœnam, non annihilata aut ſubſtantialiter mutata. Nam & in pœnam animæ incredulis eſt ipſa immortalitas animæ. Cæterum, qvin Deus in nihilum redigere animam aut in qvamcunq; aliam ſubſtantiam vertere poſſit, dubium non eſt. Hîc autem non qvid poſſit, ſed qvid fecerit DEus, qværitur. (2) *An Deus immediatè eam converterit in Salem, an verò mediatè* virtute & miniſterio cauſæ ſecundæ, dubium

bium interpretes movent. *Rivetus h. l.* ſibi veroſimile videri aſſerit, Deum id effeciſſe vi Sulphuris & ignis, qvo miſera illa fœmina quaſi fulmine tacta obriguerit & in calcem qvaſi verſa ſit. Iſtum enim ignem cœlitus delapſum Sulphure & Sale intermixtum fuiſſe, probat ê *Deut.* 29. 23. *Sulphure & Sale exurendam terram ad exemplum Sodomæ.* Atq; hinc etiam locum, in qvo incenſæ civitates, *mare Salis* appellari. Et ex illa combuſtione terram Saluginoſam fuiſſe redditam, probat ex *Pſalm.* 107. redigit terram fertilem in Saluginoſam propter malitiam habitantium in eâ. Sed illa conjectura patitur exceptiones plurimas. Quod ſi enim ideò Salis Statua vocatur, qvia ſalem admixtum habebat fulmen, qvo tacta obriguit mulier. qvidni & Statua Sulphuris dicitur, cum Sulphur etiam adeſſet; qvidni & urbes & tota terra vocatur ſtatua Salis? vaſtatio igitur Sodomæ cum pœnâ mulieris non eſt confundenda. In *Pſalm.* 107. autem per terram Saluginoſam intelligitur ſterilis terra. *Mercerus* in h. l. eandem ſententiam fovet, comprehenſam Sulphure & igne cœlitus depluente, quô aër erat refertus, & ita fulmine percuſſam obriguiſſe in ſtatuam ſalis. *Atq́ hoc* ait, *non debet alienum profanis hominibus videri. Anne enim videmus ita, eorum qvi fulmine tacti ſunt, corpora obrigeſcere?* ſcilicet, ut miraculum probabilius reddat profanis hominibus, miraculum ferè tollit. Modum Scriptura tacet. Dum verò hanc converſionem ab excidio Sodomæ diſtingvit, nec ullius medii mentionem facit, immediatam potius, qvam mediatam ejusmodi converſionem innuere velle videtur. (3) Minus adhuc illi placent, qui modum hujus converſionis ê cauſis naturalibus petunt, nempe ê temperamento mulieris, illisq; ſalinis particulis, qvæ corpori ejus inerant, quibus totum deinde corpus fuerit infectum. Ita *Mercur. lib.* 6. *var. lect. c.* 28. ex Hippocrate de amaro & ſalſo &c. diſſerit, idemq; contigiſſe putat uxori Lothi, qvod fieri qvotidie ſpectamus in Ictericis ſeu

 Aqua-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-72 4° 833

Aquaticis, qvorum intima bilis pars in extimam corporis ſuperficiem reſtagnans id totum lucidum, amarum atq; aridum & deformatum reddit. Addit *Vir qvidam celeberrimi nominis:* contuliſſe huc operas ſuas fumum Sulphureum ex Sodoma ardente ore facieq; ad urbem converſa exceptum, qvemadmodum Puteolis vidimus in antro ſulphureo ex halitu forti enecatos canes. Sed ejusmodi cauſas naturales fruſtra arceſſimus, ubi de miraculo agitur. Provocant quidem ad *Auguſtini* autoritatem, qvi *lib.* 1. de mirabilibus S. Scripturæ, aſſerat, ſalis tenuiſſimam partem, qvæ corpori inerat, totum corpus infeciſſe, ejus tamen veſtigia deſerere piaculum non eſt. Et ſanè fundamentum, qvod huic aſſertioni ſubſternit, nullius momenti eſt. Nempe ſupponit, qvod Deus nihil contra naturam agat, ſed latentes naturæ vires excitet & inſitam Naturæ virtutem gubernet, ut, qvod in parte latebat, per totam infundatur. Nam &, addit, in corpore humano multas Salis particulas inveniri, qvod ex lacrimarum ſapore ſalſo, ex phlegmate acri & tuſſi expreſſo ſputo probat.

§. 12. Ut autem alias è Sacro codice hiſtorias furto abſtulit profana Antiqvitas, & in fabulas convertit Diabolus Dei ſimia, ita in hac qvoq; hiſtoriâ de Lothi uxore contigit, quæ fabularum involucris inſtinctu Dæmonis immerſa Poëtis etiam profanis memoratur. Ita Nioben fingunt nimio dolore ob amiſſos filios in ſaxum obriguiſſe; qvam Metamorphoſin deſcribit *Ovidius Lib.* 6. *fab.* 3. Ex eodem fonte orta & fabula de Orpheo, qvi cum Euridicem uxorem ex inferis revocaſſet, eâ conditione, ne ejus conſpiciendæ gratia prius retroſpiceret, qvam domum ſuam perveniſſet, cum immemor pacti oculos in eam obverteret, dubitans an euntem ſeqveretur, qvam citharæ ſvavitate obtinuerat, intempeſtivo reſpiciendi deſiderio amiſit. Interdictum, ne Orpheus retroſpiceret, narrat Ovid. l. X. Metam.

Hanc

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-72 4° 833

Hanc ſimul & legem Rhodopejus accipit Orpheus,
Ne flectat retrò ſua lumina, donec avernos
Exierit valles; aut irrita dona futura.

Pari modo Lothi benignitatem in Angelos hoſpites ejusq; liberationem ab exitio Sodomæ imitatur Fabula Philemonis & Baucidis, quorum hoſpitio cum Jupiter & Mercurius liberaliter ac lautè excepti eſſent, interemptis ejus loci incolis & vaſtato oppido hos duos ſupereſſe voluerunt, utq; in montem ſe reciperent velut ſecuritatis locum, his verbis Metam. 8. juſſerunt.

Dîq; ſumus, meritasq; luet vicinia pœnas
Impia dixerunt: vobis immunibus hujus
Eſſe mali dabitur: modo veſtra relinqvite tecta
Ac noſtros comitate gradus: & in ardua montis
Ite ſimul.

In dictis Pythagoricis illud etiam reperitur: ἀποδημῶν τῆς οἰκίας μὴ ἀποστρέφου. *Peregrè proficiſcens domum ne reſpicias.* qvò etiam pertinet illud apud *Theocrit. Idyl.* 24. interprete Eobano Heſſo: *Non ipſa retrorſum reſpiciens &c.* In genere notat *Rivetus*, in magicis ſacris lege cautum fuiſſe, ne qvis reſpiceret. cum enim vis omnis Magiæ à pacto cum Dæmone icto pendeat, cenſeri velut qvandam reſipiſcentiam & irritationem, ſi qvis in actu Magico poſt tergum reſpiciat. Sanè confirmant hanc ſententiam illa Virgilii Eclog.

Fer cineres Amarylli foras, rivoq; fluenti
Transq; caput jace: ne reſpexeris, his ego Daphnim
Aggrediar, nihil ille Deos, nil carmina curat.

Ita Hannibal à ſpectro nocturno vetitus retroſpicere. V. Cic. l. 1. de Divinat. Cœterum, quomodo in his multisq; aliis Diabolus Dei ſimia luſerit, callido artificio, ut fabularum involucris fidem veri obſcuraret, alibi prolixè oſtendam in peculiari Tractatu. Iu Statuam Salis elegans eſt Inſcriptio

 Ema-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-72 4° 833

Emanuelis Theſauri & valde arguta, licet in ſexum muliebrem paulùm injuria, qvam non poſſum qvin ſubjungam: *Quam ſtupes*, inqvit, *muliebrem ſtatuam, tanto artificio fictam, artifice caruit. Genita fuit & ſine ſcalpello ſculpta, & qvod impenſius mirêre, olim ſpirabilis & locuta. Brevi; fœmina fuit. Dicerem, Eſt; niſi prodigium videretur, Fœminam eſſe, & tacere: Gorgonium vidiſſe illam putas? aut Ciconum fontem bibiſſe? erras, ſe ipſam finxit, nam contra divinum præceptum, dum patriam ſpectat, ſe amiſit. Sola igitur mortalium nec imaginis egens nec ſepulchri, ipſa ſuæ ſtupiditatis imago in ſemita hæret, & in ſuâ ſtatuâ tumulatur. Licet igitur intra Metamorphoſes numeratur, Fœminam ex vera fictam; imò nunc veram, qvia fictam. Nam qvid in fœminis videas, niſi fictum? itaq; mentiri ſolita, ſeipſam mentitur; Mortua vivam ſimulat, vel viva mortuam. Magis mirere, qvod inſulſa ſalſum migrarit in lapidem: in Sale mortua, qvo viva carebat. Sic ſolent fœminæ: ſapiunt cum pereunt &c.*

SECTIO II.

1. *Cur Lothi uxor in Statuam Salis converſa?* 2. *An muliebris figura hujus ſtatuæ fuerit?* 3. *An Lothi uxor ſalvata ſit.* 4. *Num adhuc ſtatua Salis ſuperſit.*

§. 1. Cur in ſtatuam Salis ſit converſa mulier, rationem ſtultam fingunt Rabbini; nempe, qvod viatoribus modicum Salis denegaverit. Sed fabulam non uno modo omnes narrant; Nonnulli enim veniſſe ajunt pauperem ad fores uxoris Loth & Salem petiiſſe, ſed tuliſſe repulſam, atq; hinc eadem qvâ deliqverat menſurâ punitam eſſe. Alii verò fingunt Angelis Hoſpitibus, cum Salem peterent, intempeſtivè renuiſſe mulierem. Rurſus alii eam narrant, cum Angelos hoſpitio

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-72 4° 833

excepiſſet Lothus, indignabundam mulierem ad vicinos veniſſe, & paulum Salis mutuò petiiſſe pro hoſpitibus, iſto tantùm fine, ut incolis de eorum præſentia conſtaret, eoq; anſa præberetur facinoroſis in peregrinos irruendi. Ita legitur in Breſchis Rabba. Apud Lyran. ſimpliciter dicitur, ex mente Hebræorum, qvod veſpere præcedente, cum Loth Angelos exciperet, in cœnâ non appoſuerit Sal, qvo cibi condiri ſolent, idq; ex gentilitio Hoſpitum & hoſpitalitatis odio, Sodomitæ enim erant inhoſpitales. Ita gens fabularum avida & fingendi artifex, ne nihil dicat, ludicra figmenta ſupponit, ad qvæ *B. Lutherus* verbo reſpondet: *Talibus ineptiis pleni ſunt Judæorum libri.* Qvi verò converſionem mulieris mediatam & naturalem ſtatuunt, ut *Mercurialis* & alii ſupra memorati, facile rationem reddunt; punitam eſſe per temperamenti ſui naturã, & cum ſalis particulas in corpore haberet, in Salem fuiſſe converſam. Qui exhalationem ſulphuris ex Sodomâ ardente Metamorphoſeos cauſam ſupponunt, rationes medicas allegant, nec tamen audiendas. Nobis perſvaſum eſt, miraculum contigiſſe in iſta transmutatione, immediatè à Deo abſq; cauſis naturalibus profectum. Auguſtinus etiam rationem myſticam affert: *Sale punitam, ut ex iſto Sale ſaperet poſteritas.* Eodem ferè collimat *Proſper. l. 1. de prædict. & promiſſ. cap. 16. Uxor*, inqvit, *Loth* ſalis ſtatua effecta, ſuo exemplo fatuos condivit, in propoſito Sancto, qvo tendunt proficientes, noxiâ curioſitate retrò non debere reſpicere. Addit *Cornel. à Lapide in h. l.* Verſa eſt uxor Loth in ſtatuam Salis ad hoc, ut eſſet qvaſi marmor & perenne monumentum divinæ caſtigationis. Nam Sal ſuâ ſiccitate memoriæ prodeſt, & corpora à corruptione conſervat; metallicum verò ſolidum eſt, unde Symbolum eſt æternitatis & memoriæ æternæ, hinc pactum Salis vocatur pactum æternum. Patrum, Philonis, aliorumq; rationes allegoricas, cur in ſtatuam Salis & non aliam materiam converſa ſit, allegan t

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-72 4° 833

Pererius, *Bonfrerius* aliiq; Interpretes Pontificii. In genere autem, cur punita ſit mulier, ſupra cauſam indagavimus.

§. 2. Qvænam fuerit illius ſtatuæ figura, diſpicere etiam juvat: Non deſunt enim, qvi rudem & indigeſtam molem, formâ vel effigie hominis, imò omni figurâ deſtitutam interpretantur. Pleriq; Judæi obſervante *Munſtero* in Lex. p. 282. per *tumulum*, *acervum*, *aggerem informem* exponunt. Interpretes verò Chriſtiani ferè omnes ſtatuam humanâ forma præditam intelligunt. Sunt & qvi contendunt, vocabulum נציב qvotiescunq; in S. codice occurrit, denotare ſive unum ſive plura humanâ formâ prædita ſubjecta, prorſus verò nunqvam aliqvid informe. Unde concludit clariſſimus *Saubertus*, ſi vel nulla ſtatuæ illius monumenta ſupereſſent, ex ipſo vocabuli ſignificatu indubium eſſe, qvæ fuerit ſtatuæ figura. Hinc *Cornelius à Lapide* confidenter ait: Statua hæc fuit effigie muliebri. Fuit enim ſtatua uxoris Loth, cujus proinde formam ipſa ſtatua retinuit. *Tertulliani carmen de Sodoma* non tantum figuram muliebrem huic ſtatuæ tribuit, ſed & geminam addit fabulam, ſcilicet ſi forte à qvo piam mutiletur ſtatua, mox abſciſſam renaſci particulam & inſtar vulneris ſanari atq; reſtitui, ſexus verò diſcrimen ſingulis etiam menſibus prodi. Illud qvidem celeberrimus *Bartholinus* de morbis Biblicis p. 8. facile per naturæ vires fieri poſſe oſtendit, vulnera enim illa ſtatuæ ſalinæ ſuppleri poſſe allabente aqva, qvam in ſui ſtatim naturam convertat ſalina hæc minera, qvomodo & ſalinæ fodinæ creſcunt; ſed alterum ſe ait aſſeqvi non poſſe. Ipſum carmen tale eſt:

In fragilem mutata Salem ſtetit ipſa ſepulchrum
Ipſaq; imago ſibi formam ſine corpore ſervans
Durat adhuc, etenim durâ ſtatione ſub æthra,
Nec pluviis dilapſa ſitu nec diruta ventis.
Qvin etiam ſi qvis mutilaverit advena formam
Protinus ex ſeſe ſuggeſtu vulnera complet.

Dici-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-72 4° 833

Dicitur & vivens alio jam corpore, ſexus
Munificos &c.

Qvod *Riveto* judice à viris antiqvitate reverendis, parum verecundè prolatum eſt, & fabuloſum meritò cenſet *Leonardus Marius*. Verecundius tamen eandem fabulam narrat *Irenæus l. 4. c. 41.* *Uxor*, inqvit, *remanſit in Sodomis, jam non caro corruptibilis, ſed ſtatua Salis ſemper manens: & per naturalia, ea qvæ ſunt conſvetudinis hominis, oſtendens.* Cœterum an carmen, qvod ſupra recitavimus, *Tertulliano* an *Cypriano* debeatur, litigant *Bellarminus, Sixtus Senenſis, Pamelius &c.* cum aliis verſiculis de hac materiâ legitur apud *Fabricium in opere Chriſtian. Poët.*

§. 3. Illa verò potiſſimum qvæſtio Theologorum pulpita fatigavit, *an ſalvata ſit Lothi uxor?* ad qvam nonnulli nimis rigidè, alii nimis benignè, & liberaliter reſpondent. *Rivetus* non levem, ait, fuiſſe iſtius mulieris culpam, qvantumvis eam nonnulli velint extenuare; & paulò poſt peccati illius gravitatem his verbis exaggerat: Apparent enim veſtigia incredulitatis, rebellionis & ſollicitudinum hujus vitæ, qvibus exiguus admodum junctus fuit guſtus divinæ erga eam & ſuos gratiæ. Cum minas audiviſſet, nec effectum adhuc videret, moras nectebat, & hoc aſpectu retrorſum viſa eſt tacitè accuſare aut ſaltem dubitare de divinâ veritate. Nulla autem atrocior injuria Deo ab homine fieri poteſt, qvàm ſi ejus fidem in dubium vocet. Hinc Autor ſapientiæ, *animam* illi tribuit *incredulam*. Accedebat & ingrati animi vitium &c. Mitius autem ſenſit *B. Lutherus*; *circumſtantiæ*, inqvit, *manifeſtè convincunt, non inhoſpitalem, ſed piam & ſanctam hanc mulierem fuiſſe, in qvâ egregiè lucet fides, ſiqvidem maritum ſine cunctatione ſeqvitur, & tamen patitur hoc humanum, ut reſpiciat & pereat.* Et mox: omnino autem ſperandum eſt: non eſſe damnatam ideo. Sunt enim talia exempla multa in S. lite-

ris

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-72 4° 833

ris, qvod Deus ſanctos ſuos temporalibus pœnis affligit, ut non pereant cum mundo. Et Paulus dicit. 1 Cor. 11. dum judicamur à Domino, corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Correpta igitur uxor Loth eſt, non damnata. Sic filii Aaron, qvi offerebant alienum ignem caſtigati & non damnati ſunt in ſignum aliis. Idem de Propheta judico, qvi à Leone interfectus eſt. Hactenus *B. Lutherus*. Qvi damnatam eſſe putant, potiſſimum *incredulitatem* urgent, qvam memorat liber *Sapient. X.* 7. qvi verò de ſalute ejus benè ſperant, hinc etiam argumentum petunt, qvod *Luc.* 17. 32. à Chriſto expreſſis verbis non damnetur. Sed infirmum illud argumentum eſt & ferè in contrarium concludit. cum enim in exemplum proponatur, ut nobis caveamus, forte qvis eò gravius punitam eſſe ſuſpicaretur, qvò gravior eſt comminatio. Pleriq; tamen interpretes benè ſperant, & notante *B. Hunnio*, Deum temporali pœna contentum fuiſſe cenſent. Nobis in hoc argumento nil certius eſt, qvam nihil certi determinari poſſe. Unum enim charitati Chriſtianæ, alterum rigori juſtitiæ magis conforme eſt judicium. Interim relinqvamus eam judicio divino, & ex alieno malo ſapere diſcamus. An peccatum ejus veniale fuerit an mortale, diſquirunt Pontificii interpretes. *Cornelius à Lapide* eorum ſententiam amplectitur, qvi venialem hanc culpam fuiſſe ſtatuunt; (cum tamen nullum peccatum naturâ ſuâ veniale ſit) mox ſui immemor inqvit: *Itaq; anima hujus uxoris corpore converſo in ſtatuam ſuperſtes manſit atq; ivit in infernum* (an igitur peccata venialia inferno digna ſunt?) ſed corrigit ſe poſtea, & ad purgatorium miſeram mulieris animam ablegat.

§. 4. Deniq;, *an hodie illa Salis ſtatua ſuperſit*, qværunt Interpretes, & in varias ſcinduntur ſententias. *B. Lutherus in h. l. Non autem ſtetit hæc ſtatua diu, ſed unà cum civitate* (Segor) *concuſſa & fulmine contrita eſt.* Itineraria qvoq; plurima eam ignorant. Multos Europæos refert *Angelus Monachus*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-72 4° 833

nachus ſuo tempore ſtatuam qvæſiviſſe nec reperiſſe. Et Princeps *Radzivil in Itinerario* ſe diligenter percontatum eſſe ſcribit, num qvæ ejus rei veſtigia adeſſent, ſed ab iis, qvi loca illa habebant explorata, certiorem eſſe factum, nihil ſimile ibi reperiri. Sunt qvi ideo durationem ſtatuæ negant, qvod materia Salis facile liqveſcat, & diuturnitatem ferre neqveat; Sed Salis metallici tanta eſt durities, ut aëris injuriam non timeat; qvemadmodum & *Plin. l.* 31. *c.* 7. de Sale Africano memoriæ prodidit, ubi Sole & Luna induruit, nullo liqvore liqveſcere, & vix ferro cædi poſſe. Accedit Artificis, qvi ſtatuam finxit, potentia in conſervandis etiam iis qvæ lubrica & caduca ſunt, ut ætatem ferre poſſint. Et ſane probabile eſt, voluiſſe Deum, ut ad poſteritatis memoriam judicii ſingularis monumentum extaret. Liber Sapientiæ cap. X. v. 7. hic nobis ſuffragatur. In *Targo Hieroſolymitano* non tantum dicitur ſuperſtes fuiſſe, *ſed duratura etiam usq; ad tempus reſurrectionis, qvo mortui reſurgent*. Certè Joſephus Antiqv. Judaic. lib. 1. cap. 12. inqvit: ἱςόρηκα δὲ αὐτὴν, ἔτι γὰρ καὶ νῦν διαμένει, *inſpexi verò eam, qvia & hodie durat*. Tertulliani tempore extitiſſe adhuc, verſus illi probant, qvos ſupra adduximus. Præter *Philonem Irenæi* qvoq; autoritas in hunc finem *ex lib.* 4. 21. laudata eſt. Itineraria varia qvoq; ejus mentionem faciunt. *Borchardus* (inqvit Cornel. à Lap.) qvi vixit abhinc trecentis annis, teſtatur ſtatuam hanc ſua ætate adhuc extitiſſe inter Engaddi & mare mortuum. Sed Rivetus, *Borchardũ*, ait, *non ita pridem* edidiſſe terræ ſanctæ, qvam perluſtraverat, Itinerariũ, qvam contradictionẽ obiter noto. Idẽ teſtantur *Adrichomius*, *Bredembachius*, *Salignacius in Theatr. terræ S. Anſelmus Monachus*, *Epiphanius Monachus*, *Antonius Martyr &c.* qvorũ omnium unanime teſtimonium cur rejiciamus, cauſa nulla eſt. Certè in qvæſtione facti unius hominis αὐτοψία plus valet qvam plurimorum *non vidi*. Præterea cur non omnibus videatur illa ſtatua, cauſam ſuppeditavit Anſelmus Monachus, nem-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-72 4° 833

pe nonnunqvam intumeſcere mare, ut operiat totam ſtatuam, aliqvando autem decreſcere, ut ad pectus & genua videri poſſit. Cum verò judicii divini veſtigia de excidio Sodomæ cæteroqvin appareant, non diffitentibus etiam profanis ſcriptoribus. V. Tacit. hiſtor. lib. 5. Egeſippum lib. 4. c. 18. de lacu Asphaltite, veroſimile eſt, hujus etiam facti monumentum non interiiſſe.

SECTIO III.

Complectitur uſus morales, & abuſus allegoricos.

MEMENTOTE UXORIS LOTH, non fruſtra à Salvatore dictum eſt *Luc.* 17. voluit nempe, ut hinc præcepta vitæ morumq; regulas peteremus. Uſus autem varii eſſe poſſunt.

1. Abjicienda eſt nimia terrenorum cura, qvâ irretiti mortalium animi in viâ hærent, & ſalutis diſpendium opinione ſua citius incurrunt. Dum enim hujus ſeculi bona mentis & oculorum cupiditate metiuntur, alterius ſeculi bona incauti amittunt.

2. In viâ Domini illud PLUS ULTRA valet; nec gradum ſiſtere nec oculos retorqvere licet, ſed perſiſtendum eſt in vero tramite, usq; dum metam nobis propoſitam conſeqvamur. multò minus autem redeundum ad priſtina curarum vitiorumq; conſortia. Periculoſa omnis morbi recidiva eſt, periculoſiſſimus verò animæ ſtatus, in labem, qvâ liberata erat, ſponte denuò prolabentis. *Nemo* enim, dicente Chriſto *Luc.* 9. *v.* 62. *qvi manu ſua admota aratro, reſpexerit ad ea qvæ retro ſunt, aptus eſt ad regnum DEi.* Illud igitur maximopere caveri debet, ne à DEo vocati, ab inferis liberati, Diaboli vinculis ſoluti, aliò qvam ad propoſitam ſupernæ vocationis palmam reſpiciamus, an denuò Ægyptum petat cor noſtrum, & faſtidio cibi Angelici, porris & cæpis inhiet. graviſſimum eſt Petri monitum. 2. *Petr.* 2. 9. *ne inqvinationibus mundi per agnitionem Domini &*

ſerva-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-72 4° 833

ſervatoris Jeſu Chriſti vitatis his rurſum implicati ſuperemur, qvia ultima conditio deterior eſſet priori.

3. Qvid juvat externam mundi conſvetudinem effugere, ſi animus illi adhæreat, & Sodomæ fines egreſſus pomœria Sodomæ in pectore foveas. Exuenda eſt potiſſimùm mentis illa propenſio, qvæ homines à conſortio hominum liberos vitiis tamen hujus ſeculi involvit.

4. Singulari beneficio erepta mulier, exitium ſibi ipſi peperit; ut cautius mercari diſcamus, nec benignitate Dei abutentes, beneficia ſingularia ſecuritatis privilegia eſſe putemus.

5. In minimis etiam voluntatem divinam exſeqvi fas eſt, non tantum in maximis. Maxima enim è minimo præcepto peccata oriuntur, ſi illud contempſeris, & impunitatis ſpe vanâ frena carni laxâris.

6. Oculorum cuſtodia neceſſaria qvoq; eſt. Viſu primùm periit Eva, & cum eâ humanum genus. Viſu periit Lothi uxor. Viſu qvotidie multi pereunt, qvi, ut Jobus pactum cum oculis non inivêre. Sunt oculi ſcopuli, *qvibus alliſæ tot periere rates.*

7. Qvod Lotho ſoli dictum fuerat, ad uxorem qvoq; ſpectabat. Eadem divina lex æqvaliter omnes obligat, nulli exceptionem, nulli ſpem impunitatis largitur.

8. Ingrati animi vitio nihil gravius eſt, ſeverè ſæpius, ſed & hic punitum. Nihil prius aut antiqvius eſſe debebat ſervatæ mulieri, qvam ut morem in omnibus præcepto divino gereret; illa verò beneficii immemor dum periit immorigera, monumentum ingratis tremendum exhibet.

9. Jubeat Deus, qvæ cara nobis ſunt relinqvere bona, poſſeſſiones, cognatos, amicos, neceſſitudines, ne hæreamus inſtar uxoris Lothi; hæc impedimenta itineris viam obſtruunt ad cæleſtem patriam.

10. Abuſus allegoricos varios exhibent Interpretes Pontificii. Flacianorum illa comparatio, ut *Lothi uxor in Statuam Salis converſa, ſic Adami natura per lapſum immutata eſt ſubſtantialiter*, aliena eſt, heterodoxa & meritò explodenda. Aliis recenſendis ſuperſedeo; nam & de Salis Statua agens illius recordor: *non habet Salem, qvi nimium Salis condimentum affert.*

FINIS.

Co-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-72 4° 833

Corollaria Reſpondentis.

1.

Datur ſcientia Dei media.

2.

Definitio Theologiæ Ἀρχετύπȣ, per *ſcientiam increatam, infinitam, & eſſentialem in ipſo Deo*, minus eſt conveniens.

3.

Nec pœnitentiâ, nec Baptiſmo verè ſic dictis juxta proprias hypotheſes gaudent Calviniani.

4.

Non ſunt tres cauſæ Sociæ creationis.

5.

Unionem naturarum in Chriſto, nec paraſtaticam, nec eſſentialem, nec naturalem, nec accidentalem, nec integralem eſſe volumus.

6.

Aſcenſio Chriſti in cœlos cum ipſius ſecundum humanam naturam in terris præſentiâ probè conſiſtit.

7.

Per potentiam Dei infinitam ita evehi poſſe, & glorificari corporeos beatorum oculos, ut ipſam Dei eſſentiam videant, negari non poteſt, an verò actu id fiat, certò & apodictìcè in hujus vitæ infirmitate decidi neqvit.

8.

Nunqvam certi eſſe poſſunt juxta ſuppoſita ſua Pontificii, an verè in gremium Eccleſiæ ſint recepti, fructumq; Sacramentorum ſalutariter percipiant.

9.

Nec dubitare, nec confidenter nimis de ſalute gloriari homini Chriſtiano ante extremum vitæ articulum convenit.

10.

Qvi Pontificios Idololatras dixerit, à vero minimè aberraſſe mihi videtur.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-72 4° 833

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-72 4° 833